



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

Ad Eundem. Polycrenes Bavillanae Libellus Supplex. Ode XXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

Namque hoc omne decus tuo in me amori
 Acceptum refero. Tibi placere,
 Si tamen placeo, una nostra laus est.
 Hinc sum fontibus invidenda cunctis.
 Quin & jam mihi Sequana invidere
 Narratur, quod identidem relictâ
 Urbe lætus aquas meas revisis.
 Sed stulta uritur æmulatione,
 (Pace quod dominæ velim esse dictum)
 Estque ingrati animi, optime merentem
 De se, tam male quæ remuneratur.
 Æger nam quoties venis ab illa,
 Integris toties redis ad illam
 Viribus: merito superba nostro est.
 Ergo visæ frequens tuos amores,
 Nec cœptum Boreas iter moretur.
 Nam præsens hyemes fugabis atras:
 Et quæ nunc pluviis geluque sordent,
 Suum restitues aquis nitorem.

A D E U N D E M.

POLYCRENES BAVILLANÆ LIBELLUS SUPPLEX.

O D E X X V.

ASTRÆÆ decus, arbiterque legum
 Lamonis, rudis illa, rustica illa
 Fontis Nympha tui, dedit libellum
 Ferre ad te mihi supplicem: querelas
 Dixissem melius. Sed & querelis
 Bonus consule, supplici & libello.
 Votorum hoc caput & simul dolorum:
 Abes, Lamonide, diuque cessas

Amatum reditu beare fontem.
 Hinc noctesque diesque lacrymatur :
 Hinc per saxa pede asperasque valles
 Errat præcipiti, & nihil merentes
 Objurgat male verberatque fagos.
 Jam spumas agit indices furoris :
 Tantum turbat amor ! medere amanti ;
 Et desiderio tui inquietæ ,
 Redde Naiadi suam quietem.
 Sin venire negas , perire certa est ,
 Aut cœcum sub humo invenire callem.
 Quà se Parisios ferat , superbæ
 Ut convitia Sequanæ reponat :
 Quæ te in urbe diu nimis moratur ,
 Suas delicias , suosque amores.

AD SERENISSIMUM PRINCIPEM

CONDÆUM

RHENI LIBELLUS SUPPLEX.

ODE XXVI.

INVICTISSIME Borboni nepotum ,
 Seu tu Gallicus Hercules vocaris ,
 Seu Mars Franciadum , arbiterque belli :
 Rhenus Teutonicique Gallicique
 Quondam limitis imperique custos ;
 Nunc ripam per utramque liliorum
 Auratosque rigans colensque flores ,
 Ultro fert tibi supplicem libellum
 Hostili modo sanguine exaratum.
 Cui subscribere non stilo , sed ense